



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 238. An statutum prohibens, ne bona stabilia donentur aut vendantur
Ecclesiis sit injustum, secluso privilegio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

subiecta dispositioni Papæ, *Contrà* est, Papa est tantum Vicarius Christi, & pro Christo est Dominus, ergo potestas illa Papæ non potest præjudicare Christo. 3. Etiam planè falsa est, nam talis domus Deo consecrata venit nomine Ecclesiæ, Ecclesia autem habet jus asyli, uti dicitur à n. 1392.

Obicies. Bona transeunt ad Ecclesiam cum onere reali censûs, feudi vel hypothecæ, ergo etiam cum onere gabellarum, item cum subiectione ad jus potentiale, jurisdictionale & politicum laicorum. *R. N. conseq.*, Ecclesia non prohibuit priora onera remanere: *E* contrà prohibuit posteriora tanquam opposita immunitati & reverentiæ debitæ statui Ecclesiastico.

Q. 238. *An statutum prohibens, ne bona stabilia donentur aut vendantur Ecclesiis, sit iniquum, secluso privilegio. R.* 1389

§. I. Negat cum quibusdam politicis *Caram.*, quia tale statutum videtur esse pro conservando jure potenciali singulorum, & jurisdictionali ac politico Principum, secundum dicta n. 1383. Opinioni illi præfuserunt *Ioannes VVicleff* & *Ioannes Huf* damnati à *Martino V.* in *Conc. Constant.*, qui inter cætera dixerunt esse contra Scripturam, quòd Ecclesiastici habeant possessiones; graviter peccare eos, qui fundant claustra eisque attribuunt immobilia; Papam cum suis Clericis esse hæreticum, eò quòd possessiones habeat; *Augustinum*, *Benedictum*, *Bernardum* esse damnatos, eò quòd possessiones admitterint; *Constantinum M.* errasse, eò quòd Ecclesiam ditaverit. Idem tenuerunt anabaptistæ Monasterii Westphaliæ, ubi facto plebi-scito vetuerunt, ne Clerici aut Religiosi ulla bona immobilia ad Ecclesias vel Monasteria transferrent, quod tamen postea anno 1569. Status patriæ & Episcopus *Ioan-*

nes de Hoya contrario statuto penitus abrogavit,
hinc,

1390

§. II. Dicendum est, quòd statutum ejusmodi sit iniquum, ita auctores citati l. I. n. 679., ubi plura circa hæc dicta sunt: consentiunt *Cardenas* in I. crisi d. 61. c. 9. aliique Canonistæ, Juristæ ac Theologi innumeri apud *Dianam* p. I. t. 2. R. 57. & p. 6. t. 3. R. 6. & apud *Delbene* de Imm. Eccl. c. 8. d. II. Ratio est 1. quia Ecclesiastici sunt exempti à jurisdictione laicorum, uti dictum est n. 1381., ergo iniquum est, si per statuta laicorum, quibus non subijciuntur, prohibeantur aliquid acquirere. Conseq. patet, quia nemo justè prohibet, nisi habeat jurisdictionem in eum, cui prohibet, uti tenent omnes cum *S. Th. 1. 2. q. 90. a. 5. 2.* Statutum prohibens eleemosynam aut dispositionem ad piam causam est iniquum, tale est illud statutum, ergo. *Conf.* quia tale statutum prohibet, ne possis tua donare Deo, nam relicta Ecclesiæ fiunt res Dei, uti habetur *Can. Apost. 39., Cap. nulli liceat, Cap. pradia, 12. q. 2., Cap. videntes, 12. q. 1., Trid. Sess. 25. c. 20. de Ref., 3.* Jus habeo dandi pauperi rem meam, ut, si velit, consumat aut aliò transferat, quamvis per hoc designat jus potentiale privatorum & jurisdictionale ac politicum Principum in rem illam, ergo injuria fit mihi, si prohibear: imò laici jus habent vendendi aut donandi sua hominibus hæreticis, Judæis &c. ergo multò magis Clericis & Religiosis, hinc meritò queritur *S. Amb. 1. 5. Epist. 31., scribuntur testamenta templorum, id est, idolorum, ministris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, soli ex omnibus Clerico commune jus clauditur.* Et *S. Hieron. Epist. ad Nepotian., Pudet dicere, sacerdotes idolorum, Mimi & auriga & scorta hæreditates capiunt, solis Clericis & Monachis hoc tempore*

tempore prohibetur, & prohibetur, non à persecutoribus, sed Principibus Christianis. 4. Sacri Canones, quos *Trid.* suprâ præcipit observari, item Concilia Generalia statuunt Ecclesiam habere potestatem acquirendi bona stabilia sine licentia Principis, uti dictum est n. 1386., ergo hoc non est contra jus privatorum aut Principum, alioquin Canones, *Trid.* aliaque Concilia docerent injuriam, ergo est iniquum, jus illud Ecclesiæ impedire. 5. Tale statutum est contra libertatem Ecclesiasticam, quia facit Clericos esse deterioris conditionis quàm laicos, quibus potestatem relinquit acquirendi immobilia ac retinendi in perpetuum, si volet, ergo est iniquum. 6. Materia quæstionis illius, an Ecclesiæ sit licitum acquirere, & an E contra Principes peccent impediendo Ecclesiam à tali acquisitione, est purè spiritualis, ergo spectat ad forum spirituale illam determinare, ergo cùm forum spirituale sive Canones & Concilia determinent in favorem Ecclesiæ, hæc decisio est sufficienter certa, ergo opinio opposita est improbabilis. *Conf.* 1. nam ad Ecclesiam spectat determinare, quâ reverentiâ colendi sint Ecclesiastici, determinat autem sic colendos, ut capaces sint ad acquirenda bona, eaque reddenda immunita ab oneribus civilibus, uti ostendit *Carden.* c. 12. 17. & 19., ergo. *Conf.* 2. Nam certum est esse saltem probabile, quòd Ecclesia possit bona stabilia acquirere, ergo cùm Pontifices præcipiant in hoc non impediri Ecclesiam ab ullo fidei sibi subdito, Pontifices id præcipiunt secundùm probabilem sententiam, ergo fideles omnes tenentur obedire, quia si Superior præcipiat sequens probabilem sententiam, subditus in dubio tenetur obedire, uti constat ex dictis l. 1. à n. 432. Vide *Delbene* suprâ, ubi quæstionem illam optimè resolvit, & tractat

plures affines toto c. 8., ubi d. 24. & 25. probat statutum invalidans donationem ultra 500. aureos aut etiam omnium bonorum in favorem Ecclesie, esse invalidum. Argumentum *Caramuelis* nihil evincit, nam licet jus proprietatis transferretur in Ecclesiam, posset manere jus potentiale singulorum & jurisdictionale ac politicum Principum, ergo ex hoc iniquè prohibetur translatio proprietatis ad Ecclesiam: quod *Conf.*, Nam Ecclesia etiam habet jus potentiale ad bona secularium, uti probat praxis omnium temporum, ergo iniquum est hoc jus impedire.

Dices 1. Talia statuta sunt in Lusitania, Hispania, Gallia, Italia & quibusdam locis Germanie, ergo præsumi non possunt esse iniqua. *R.* Vel sunt nihilominus iniqua, uti colligitur inde, quia sæpe revocata sunt aut non admissa; vel facta sunt annuente aut certè dissimulante Sede Apostolicà pro certis circumstantiis locorum & temporum. Vide *De bene* dub. 12., qui dub. 13. etiam reprobatur statutum, ut talia bona intra certum tempus vendantur.

Dices 2. Sic nimium imminuuntur vires Reip., & laici tantò plus gravantur. *R. 1.* Si periculum sit illius mali, laici recurrant ad Pontificem, qui poterit ponere modum, aut etiam permittere, ut pars onerum portetur ab Ecclesiasticis. *R. 2.* Nullum inde est periculum, nam compensat Deus, quod sibi liberaliter offertur: & ita olim tempore Davidis & Salomonis in parvo regno Judæe aiebantur ex bonis etiam immobilibus plurimi Sacerdotes, nec ideo minus florebat. Vide *S. August.* hom. 48. inter 50. c. 2. & 3. Ex dictis,

1391 *Sequitur*, Regulares non posse salvâ immunitate Ecclesiasticâ se obligare communitati seculari ad non emenda plura bona immobilia, sicuti cedere non possunt privilegio Canonis vel fori, nec liber-

tati,

rati, quam habent, ut ex testamento vel donatione acquirant immobilia, uti docent plurimi cum *Lugo* in Resp. Mor. l. 1. dub. 8.

Q. 239. Quid de asylo sit notandum R. Seqq. 1392.

§. I. Immunitas asyli est privilegium locis ad Dei cultum ordinatis concessum, ut nemo ex illis violenter extrahat aliquem, Cap. *Inter alia*, de Immun. Eccl., Constit. *Gregorii XIV.*, *Cum aliis*, aliisque locis apud *Delbene* de Immun. Eccl. Cap. 16. dub. I. Videtur autem immunitas asyli introducta jure tantum Canonico & civili, attamen conformiter juri divino & naturali, *Covarr. Suar. Bonac. Delb. d. 2.* contra alios. Et quamvis *Covarr.* & alii putent strictè interpretandam esse, quia derogat juri communi, tamen contradicunt *Farinac.* & alii cum *Delb. d. 3.*, quia est causa pia & favorabilis, tum Ecclesie, tum Reo, pro quo standum. Non posse autem aliquam consuetudine tolli jus asyli, probabiliter tenent *Mascard. Bonac. Tann.* & alii cum *Delb. d. 6.* contra *Nav. Suar. Laym. Gav.* & multos alios, tum quia Constitutio *Gregorii* habet decretum irritans, tum etiam quia Bulla Cœnæ quotannis contradicit, nec unquam fiet cum scitu & dissimulatione Sedis Apostolicæ.

Competit autem hoc asylum omni Ecclesie auctoritate Episcopi stabiliter destinatae ad Dei cultum, uti habent Canones apud *Delb. d. 1.* & apud *Carden.* in I. crisi d. 61. an 212. & 217. Nec opus est, ut sit consecrata, Cap. *Ecclesia*, de Imm. Eccl. Neque ut in ea asservetur Eucharistia, *Farin. Bonn. Delb. d. 9. l. 1.* contra *Covarr. Tusch.* Neque ut in ea actu celebratum sit, *Sily. Sanch. Delb. l. c.* cum communi contra *Gloss. Innoc. Tusch.* Estque satis, quod auctoritate Episcopi construi cœperit, *Abb. Anchar. Farin. Sanch. Delb. l. 2.* Neque obstat, quod sit